

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 7685

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1889

P O L E M I C I .

1890

scribit) splendorem, ad *Mathiae* sui, cuius amabilem efformat speciem, laudes delabitur Vir doctus et disertus, subscriptusque: *Vienne Kalendis Januarijs, Anno a Natiuitate Domini M.D.XCII.* qua die ipsum Exemplar nostrum Strenam Archiduci obtulisse videtur. *Exercitatio*, quam lucem nunquam adspexisse miror, ab hoc initio: *Non temere illud quidam: Omnes homines suo quodam agi naturae appetitu &c.* usque ad hunc finem: *tibi angulari templi Dei lapidi firmiter adhaeream, qui cum Patre et Spiritu Sancto unus es Deus. Amen.* absque ulla divisione decurrit. Edidit Noster collectum e latinis fontibus Catalogum Eorum, qui sui Ordinis sanguinem pro Ecclesia Romana in Europa fudere, sermone patro Ingolstadii 1584. 4. ex iisdem item fontibus Res Religionis Christianae in utraque India pariter sermone germanico ibid. 1588. 8. frustra tamen in Eruditorum *Lexicis* eum quaeras. Obiit Vallisoletto e Comitiis Ordinis redux Papiae 1593. una cum itineris Socio Dominico Hefso facillimae venae Poeta, cuius multa Carmina Viennae et Graecii olim impressa adhuc in manibus Curiosorum sunt. De utroque adi, si lubet, *Placidi Herzog Cosmographiam Austriaco Franciscanam*, Colon. 1740. f.

CCCCLXXXI.

²⁷⁵ Codex chartaceus lat. sub finem Seculi exacti scriptus Folior.

69. f. continet *Epistolas IV.* in Religionis negotio ad *Ferdinandum Archiducem Austriae*, postea Imperatorem hujus nominis II. datas a *Georgio Stobaeo de Palmaburgo Borusso*, ejus Principis intimo confiliorum administratore et *Lavantino in Carinthia* Episcopo, qui 23. Octobris diem anni 1618. supremam habuit. De hujus viri in repurganda per interiorem Austriae Ecclesia studiis adi *Marci Hansizii Germ. Sacrae T. II. Epistolarum ejus Συλλογην Venetiis 1749.* 4. dedit *Hier. Lombardus S. J.* in quatenus non nisi *unam* ex IV. praesentibus legas. Sunt vero sequentes: *De auspicanda reformatione Religionis in Styria, Carinthia et Carniola.* Initium: *Non possum, Serenissime Archidux, quin illud Sapientis inclamem &c.* Subscripta est: *Lavanti 13 Calend. Septemb. Anno 1598.* et habetur Hansizii cit. p. 713. Altera inscribitur: *De prosequenda reformatione Religionis in Styria, Carinthia et Carniola*, et incipit: *Rara est tua in Deum Deique religionem pietas &c.* Caret haec in Cod. nostro et in *Lombardi Collectione* p. 85. die et consule, sed apud Hansiz. p. 742. data est 31. Julii. An. 1605. Tertiae titulus est: *De peracta reformatione Religionis in Styria, Carinthia et Carniola*, et initium: *Quod non ita pridem Judenburgo tuis ad me litteris insinuaras &c.* Ad calcem: *Palmaburgo Calend. Maij. M.DC.III.* Ita et apud Hansiz. p. 708. sed vereor, ne aut

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 7685

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1891

C O D I C E S

1892

aut prioris apud eum Epistolae subscriptio in mendo cubet, aut tituli Epistolis perperam sint affixi; quomodo enim id prosequendum dicas, quod peractum dixisti? Quarta demum inscribitur: *De resecandis Haereticorum reliquiis in Styria, Carinthia et Carniola: Auspicatur ea: Quod felix faustumque sit Serenitati Vestrae ejusque in ævum semini &c.* et subscriptur: *Lavanti in profecto Divi Michaelis Archangeli Anno 1615.* Ita et apud Hanfiz. p. 744.

CCCCLXXXII.

731 Codex chartaceus lat. germ. Sec. XVII. Folior. 158. 4. complectitur Excerpta e Scriptoribus Polemicis Catholicis Jod. Keddio S. J. Job. Zeschlino, Andrea Frommio, Jac. Kellero S. J. et aliis congesta a Mart. Nesselio Moravo Weisskircheni Danielis Bibliothecae Nostrae quondam Praefecti Patre, dum Scholae Bremensis Rectorem ageret. Itaque ad calcem adscriptum: 1662. Bremæ. Huc pertinent, quae Epistolæ suae ad Petr. Lambecium editae a Kollario in Suppl. L. I. Commentar. Lambec. col. 829. intexit Martinus: *Hic (Bremæ) singulari Dei beneficio et inspiratione, in veritatem Luther: Religionis facta inquisitione, et letis studiose Pontificiorum Doctorum libris, deprehendi eam falsam; contra Catholicam veram et orthodoxam esse. Itaque abdicavi me sponte officio, et fini-*

to examine verno XXV. Aprilis Anno MDCLXVI. — Brunam Moraviae usque veni &c. Non igitur a. 1667. ut habet Joecheri Lexicon, quod et clam profugisse Martinum adserit, et e citata Epistola non parum emendari subplerique potest. Idem dic de supra memorato Job. Zeschlino, quem neque Wilb. Wolfgangi Palatini Neoburg. Cancelarium fuisse, neque suum ad Catholicos transitum Apologia edita defendisse, aut apud Joecherum, aut in Lexico Univ. reperties.

CCCCLXXXIII.

Codex chartaceus germ. lat. 838 gall. Sec. XVI. f. compilatus est e variis Scriptis, quibus diversa Religionis Catholicae Capita impugnantur. Atque hic illorum Elenchus est: I. Consideratio de Doctrina, Ceremoniis et Adiaphoris germanica, inscripta: *Bedenckben von der Ler, von notigen Euerlichen stuckben vnnd Euerlichen Mittlen Dingen, et incipiens: Es ist nicht an (ohne), Trennung Zweispalt vnnd Schismata haben ein scheuzlichs ansehen &c. Subscriptere Lutherus, Bugenbagius, Jonas, Cruciger, Melanchthon, Amsdorfius aliquae 8. Notae temporis nullae. Foll. 16.*

II. Epistola germ. Lutheri ad Matronam de Praedestinatione solicitam. Initium: *Gnad vnnd friedt in Christo. Tugendsame frau. Es bat mir euer lieben Briefe der*